



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 17. Vestes &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

erat cura. In loco separato manebant, Sæculum VI.
& unus fratrum ipsis famulabatur. A. C. 529.
Car- nes ægrotantibus ministrabantur, & con-
cedebatur lavacrum, quoties opus erat, c. 36.
fanis autem & præcipue juvenibus bal-
nei usus raro concedebatur.

§. XVII.

Vestes &c.

De vestitu Monachorum Abbatis erat
decernere pro diversitate Climatis
calidi aut frigidi. *Credimus*, inquit
S. Benedictus, *in Regionibus temperatis* c. 55.
sufficere Cucullam & Tunicam, Cucullam
in hyeme villosam, in æstate puram aut
vetustam, & scapulare propter opera.
Hoc vestitu a longo jam tempore pau-
peres incedebant, & Ruricolæ.

S. Benedictus indumentorum nec
colorem præscribit nec longitudinem,
quam haud dubie ejusmodi esse oportebat,
ut commode laborare possent. Scapulare
latius erat & brevius quam hodie,
habebatque Capitium; nempe Scapulare
erat indumentum exterius, cum laborarent,
illudque deponebant deinde, ut reliquo
diei tempore Cucullam gestarent. Singuli
habebant duas tunicas, &

Ff 3

tam de Conviviorum prolixitate, quam de obso-
niorum multitudine & lautitia non nihil demeretur.

Sæculum VI. & duas Cucullas, partim ut nocte mutari, partim ut lavari possent. Has de A. C. 529. Vestuario accipiebant, & reddebant vetustas. Pannis utebantur, qui in illa Provincia vilius comparari poterant. Ut vitii proprietatis amputaretur occasio, Abbas omnia necessaria, id est, præter vestimenta sudariolum, cultellum, acum, stylum seu graphium & tabulas, si quid scribendum esset, singulis dabat.

Stramenta lectorum erant culcitra straminea acu puncta, pannus grossior, stragulum & capitale seu Cervical. Singulis suus lectus erat, sed omnes in uno loco, aut si id Monachorum multitudo prohiberet, saltem deni vel viceni dormiebant. Candela tota nocte in dormitorio ardebat, & semper aliquis Senior, qui aliorum factis invigilaret, aderat. Ut semper ad Chorum possent promptissime surgere, vestiti dormiebant, & cincti cingulis coriaceis, aut funibus. Solum cultellos deponere debebant, ne vulnerarentur dormientes. Post Completorium nemo loquebatur, & noctu silentium strictissime observabatur. Etiam de die raro loquebantur. Scurrilia, verba otiosa, & risum moventia, æterna clausura in omnibus locis erant damnata. Nulla in Regula S. Benedicti de tempore recreationis fit mentio, sed jubet, ut omni tempore post cœnam fratres

c. 22.

c. 42.

c. 6.

tres in uno loco confideant, & aliqui eo-
rum Collationes, vitas Patrum, aut Li-
brum, qui ædificare possit audientes,
legat.

Monachis sine Abbatis mandato nec
litteras nec munuscula a quocunque ho-
minum & nequidem a Parentibus acci-
pere licebat. Absque ejusdem licentia
ex Monasterii septis non exhibant, atque
ut omnis vagandi foras tolleretur præ-
textus, Monasteria, si poterat fieri, in
hunc modum ædificabantur, ut omnia
necessaria, aqua, hortus, Molendinum,
Pistrina, & Cellæ exercendis variis arti-
bus aptæ, intra claustra essent. Portæ
præficietur Senex sapiens & maturus,
qui responsum congruum pauperibus a-
liisque advenientibus dare posset. Si
qui Fratres extra Monasterium mitteren-
tur, totius Congregationis orationi se
commendabant, & post reditum suum in
Oratorio omnium pedibus in quolibet
horarum officio prosternebantur, ut men-
tis distractiones aliosque errores foris
admissos eluerent. Ceterum severissi-
me prohibebatur, ne foris visa vel au-
dita vulgarent.

Advenientes Hospites magna chari-
tate, & veneratione exceptos ad Orato-
rium ut orarent deducebant, deinde præ-
legebant aliqua, quibus ædificarentur;
tum omnis generis ipsis exhibebatur hu-

Seculum VI.
A.C. 529.

c. 41.

c. 54.

c. 61.

c. 53.

Sæculum VI. manitas. Aquam lavandis manibus Ab-
 A. C. 529. bas dabat, & cum ipsis mensæ assidebat;
 hinc coquinam & mensam habebat di-
 versam, ut omni hora excipi possent,
 quin turbaretur Congregatio. Nemo
 Hospitibus loquebatur nisi ille Monachus,
 cui ipsos excipere præceptum erat, quip-
 pe Hospitum Cellæ a cœteris erant se-
 paratæ.

§. XVIII.

R e g i m e n.

- c. 64. **A**bbas, qui Monasterium regeret, a to-
 ta Congregatione, vel a saniore Par-
 te eligebatur, & Meritorum non vero
 ætatis aut gradus habebatur ratio. Quod
 si omnis Congregatio consensisset in eli-
 gendo Abbate perverso, Episcopum Dice-
 cesanum, Abbates, aut etiam vicinos
 Christianos oportebat tantum malum a-
 vertere, & Monasterio dignum Pastorem
 præficere. Abbas electus ab Episcopo
 vel aliis Abbatibus ordinabatur. Opor-
 tebat esse doctum in Lege Divina, magna
 c. 65. charitate, prudentem, discretum, omni-
 bus suo exemplo viam monstrare, tan-
 tum ea exequi, quæ jubet Regula, &
 curare, ut exacte servaretur. *Meminisse*
 c. 2. *debet Abbas, inquit S. Benedictus, quod*
in se suscepit regere Animas; caveat
igitur sollicite, ne parvipendens salutem
animarum sibi commissarum majorem ge-
vat